

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 148

Magnifico viro Conuuoioni abbati, emptori, ego enim, in Dei nomine, Haelhoiarn femina, venditrix, constat me tibi vendidisse et ita vendidi rem proprietatis meae, hoc est, petiolam de terra de brace .IIIIor. modios de parte Riantcar, que est a fine Ranmelan ad rocham, a roca ad fossatam Matuuor, a fossata ad ripam, a ripa per landam ad finem Randofion, secundum finem Ranndohion et ortis Suluuoion usque finem Ranhaehnorin, per finem fossatellam usque ad rubeam fossatam, per rubeam fossatam usque ad pontum Loutinoc, cum mancipiis et cum villa nomine Kelliuuenhan, et silvis, pratis, aquis, pascuis, et omni supraposito suo, unde accepi a te pretium in quo mihi bene complacuit, illis presentibus qui subtertenentur inserti, hoc est, .XXIIII. solidos, habeas, teneas, possideas, facias exinde quicquid volueris, ita ut ab hodierna .die quicquid exinde facere volueris, iure proprietario, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem ad faciendum; et obligo tibi fidejussores vel dilisidos in securitate de ipsa terra: Iarndetuiud, Anauran, et Menuili et Arthuueo, in luh, in alode, dicombito, sine redemptionem umquam, dicofrit, difosot, diuuharth, et sine ulla re ulli homini sub caelo nisi ad Conuuoionem abbatem et cui voluerit post se; quod fieri non credo, si fuerit aliqua persona, aut ego ipsa aut ullus de heredibus meis, qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare presumpserit, illud quod repetit non vendicet, insupra et contra cui litem intulerit solidos .LXVIII. multa conponat, et haec venditio firma et stabilis permaneat; hii sunt qui subterfirmaverunt: Signum Uuruili, machtiern; x. Catloiant; x. Bertuualt; x. Maenuuobri; x. Haelhoiarn; x. Maenuili; x. Filius; x. Noli; x. et Hoiarn; x. et Fomus; x. Haeldifois; x. Uuolethec; x. Cathoiarn; x. Uuincant; x. Iohan, presbyter; x. Maenuueten, presbyter; x. Anaugen; x. Finituueten, presbyter; x. Taetal; x. Catuuotal, presbyter; x. Buduuoret, presbyter; x. Uuoretan, presbyter; x. Loiesbidoe; x. Miot; x. Iuduuoccon; .x. Factum est hoc in loco non ignobili nuncupante aecclesia Rufiaco, die dominico, sub die .XIIII. kalendas febr., luna .XXX., regnante domno et gloriosissimo imperatore Lodouuico, Niminogio misso in Britannia, Susanno episcopo, Urbili machtiern; ego, Haeldetuuideo, clericus, scripsi et subscripsi.